ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT: BEDA VENERABILIS. STERNBILDKATALOG. AUGUSTINUS

Zwettl, um 1200 Seite 122v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31907
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

de illis mali aliquid sentire coguntur. manifesta verba apostoli in perversum
detorquere sententiam. alii sanum intellectum scripturarum malunt de
fendere quam quoslibet homines adolare. Existunt, inter fratres, infirmiores et fir
miores amarissime et periculosissime contentiones quas illi forte
si scirent hoc quoque sine dubitatione corrigerent. quos certe mira
mur et diligimus. Illos autem non corruptos sed rogamus et obsecramus per divi
nitatem et humanitatem Christi et per caritatem spiritus sancti ne ulterius iam ponant
hoc offendiculum infirmis pro quibus Christus mortuus est et dolorem crucia
tumque nostri cordis exaggerent. cum cogitamus quanto proclivius hoc malum
ad decipiendos homines imitari possint mali. cum in eis hoc vi
dent quos propter alia tanta bona debito officio christiane dilectionis
honoramus. Qui si post hanc ammonitionem vel potius obsecrationem magis
in eo sibi perseverandum esse putaverint. nichil aliud faciemus quam dolea
mus et gemamus. Hoc noverint sufficit. si servi dei sunt miserentur. si non mi
serentur nolo quicquam gravius dicere. Hec itaque omnia in quibus loquutus sum for
tasse fui quam vellent occupationes et tue et mee. si approbas fac
innotescere fratribus et filiis nostris. propter quos mihi es dignatus hoc onus inponere. 4
si autem aliquid retrahendum vel emendandum videtur. rescriptis tu
e beatitudinis noverim. Explicit ad aurelium de opere monachorum.

Augustinus in libro retractationum de bono coniugali

Iovinianus heresis sacrarum virginum meritum equando pudicicie coniu
gali tantum voluit in urbe roma ut non nullas etiam sanctimoniales
de quarum inpudicicia suspicio nulla precesserat deiecisse in nuptias
diceretur. hoc maxime argumento cum eos argueret dicens tu quoque
melior es sarra. melior quam susanna sive anna. et ceteras comme
morando testimonio sancte scripture commendatissimas feminas
quibus se ille meliores vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam sanctorum
virorum sanctum celibatum commemoratione patrum coniugatorum comme
moratione frangebat. Huic monstro sancta ecclesia que ibi est fide